

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

22. Spiritus Vini Tartarisatus Basili

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

22. Spiritus Vini Tartarificatus Basili,
In Manual. Operation.

Primò sciendum est, Tartarum Philosophorum, quo sera aperitur, non similem esse communi Tartaro, ut plures imaginantur, sed aliud est Sal, etiamsi oriatur ex eadem radice. Hoc Sal est clavis unica aperiendi & dissolvendi metalla, modò fuerit præparatum, ut sequitur. *R.* Cîneres Vitis fructiferæ, ex quibus aquâ calidâ educ lixivium fortissimum, quod ebulliendo evapora ad siccitatem, ut remaneat materia rufa, quam reverbera in fornace reverberatoria per tres dies, vel circiter, igne aperto, usque dum albescat. Tum dissolve Aquâ Fontanâ, sine ut subsideat, decanta clarum, filtra ut separentur feces, filtratum coagula, & habebis Sal album Tartari, à quo Spiritus verus destillatur hoc modo.

R. Summè rectificatum Spiritum Vini & penitùs liberatum ab omni phlegmate (*sub No. 19. descriptum*) quem affunde sâli Tartari in phiala colli longi ad trium digitorum supereminentiam, luta alembicum ad phialam, appone recipiens, digere leni calore, tum lenissimè abstrahe phlegma, & Spiritus Tartari apertus est medio Spiritûs Vini, & ratione amoris reciproci & mirabilis ascendunt ambo conjunctim, feces remanentes si quædam fuerint, ut & phlegma abjicienda sunt, ita habebis verum Spiritum Vini, quo Aurum potabile conficitur.

Menstruum hoc sanè nobilissimum est, ita ut etiam ob ejus excellentiam altiore mereatur locum, quam hunc inter Menstrua vegetabilia simplicia, quum rectius ad septimum menstruorum genus esset transferendum. Verùm cum in præsentem maxime illustret Basiliæ menstrua adeoque sit hic majoris utilitatis, quàm ibi, illud hinc remove nolumus, addemus tamen ejusmodi menstruorum exempla magis simplicia. Ita fit,

23. Ace-